

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5097

Auteur(s) : Alexandre III [pape]

Bénéficiaire(s) : Lambert, Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye, abbé)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1173, 18 décembre

Lieu d'émission : Anagni

Action juridique : confirmation générale

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle du pape Alexandre III, qui prend cette abbaye sous la protection du Saint-Siège, et en confirme les biens, droits et privilèges, et donne exemption de ne payer aucunes dixmes.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Du Bois Louis, *Histoire civile, religieuse et littéraire de l'abbaye de La Trappe*, et des autres monastères de la même observance..., Paris, Raynal, 1824, Pièces justificatives, n° IV, p. 303-305 (extrait).
- b. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, Appendice, n° III, p. 582-587.
- c. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 137, p. 230-233.

Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2eéd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 14306, t. 2, p. 409.

Texte établi d'après b

Alexander, Episcopus, servus servorum Dei.

Dilectis filiis Lamberto Abbati Monasterii sanctæ Mariæ de Trapa, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, vel robur, quod absit, sacræ Religionis infringat.

Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum Monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus ; et præsentis scripti privilegio communimus : in primis siquidem statuantes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et Beati Benedicti Regulam, et institutionem cisterciensium fratrum in eodem Monasterio institutus esse denoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis

justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant : in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum quo præfatum Monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis.

Ex dono Willelmi de Pice, et Hugonis de Mareis, et Hugonis de Nuilleio, Grangiam de Boeleio.

Ex dono Gervasii de Chirai, terram de Mara ad Morest, et pertinentiam quæ pertinet ad Mareschum.

Ex dono Girardi de Asperis, terram et nemus juxta forestam de Fraiteio.

Ex dono Hugonis de Braisnart, unum pratum ad Moiseriam, et cætera ad supra dictam Grangiam pertinentia.

Ex Dominio Retrochi, Comitis Perticensis, ad Grangiam de Leigneio, terram arabilem ad quatuor boves et prata do Marseis.

Ex dono Pagani de Malregnard et Fortini, fratris ejus, terram et prata, sicut carta eorum dividit.

Ex dono Oddonis Trochei, terram de Tesval, et quæcumque pertinent ad eandem Grangiam.

Ad Grangiam de Campis, ex dono Hugonis de Campis, et Mabiliæ uxoris ejus, terram quatuor bobus, et pratum quod pertinet ad eandem Grangiam ; et terram quæ est de feudo Fortini de Normandel, et terram quam ibi habetis ex dono cu jusdam hominis Girardi de Asperis ; et terram quam ibi habetis ex dono Roberti de Avesnes et de feudo Grossinorum.

Ex dono Hugonis de Campis, nemus quod est juxta Abbatiam, ligna mortua in ejus foresta ad necessaria Abbatiae, et ligna viva et mortua ad opera prædictæ Grangiæ, et redditum unius fossæ ad faciendum carbonem, et omnia ad eandem Grangiam pertinentia.

Ad Grangiam de Valle Hermerii, ex dono Willelmi de Pinu et Roberti Gruel et Galteri Bresnard, et Gervasii Capreoli, et multorum aliorum, unam carrucatum terræ, et prata quæ ibi sunt, et ligna viva et mortua ad facienda ædificia ejusdem Grangiæ de Leigneio, et ad calefaciendum.

Ex dono Hugonis de Longo Ponte et uxoris ejus, duo arpenta prati unum est in Longo Prato, et alterum ad noham de Campellis.

Ex dono Radulfi de Pertico, unum arpentum prati, in prato Gunterii.

Ex dono Willelmi de Maisnil, pratum quod est inter prædictum pratum et aquam.

Ex dono Gaufridi de Coireus, unum arpentum prati ad calceiam Montis Hemberti.

Ex dono Roberti de Maisneria, unum arpentum prati super aquam de Coireis.

Ex dono Gervasii de Villa-Estensa, pratum Acelini, et alia omnia ad eandem Grangiam pertinentia.

Ex dono Simonis Viarii, unum pratum ad Capellam de Monteileum.

Ex dono Gervasii Capreoli et Girardi, filii ejus unum modium bladii in frumento medietatem ejus ad Villam quæ dicitur Pezinsiligine, alteram medietatem ad Maisnili Capreoli.

Ex dono Willelmi Gunteri unum herberbagium ad Nuilleium, concedentibus filiis ejus et Garino de Lunrei.

Ex dono Comitis Perticensis centum solidos denariorum, et ex dono Radulfi Viarii viginti solidos ; et hii omnes debent reddi de redditu Comitis quem habet in Moretonia.

Ex dono ejusdem Comitis vineam ad latam Pirum.

Ad Grangiam de Contrabis, quidquid pertinet ad eandem Grangiam in bosco, in terra, in pratis ; et viginti solidos Andegavenses ad Aquilam et terram quam habetis in parochia Sancti Christophori.

Ad Grangiam de Gastina, quidquid ibi habetis de feudo Willelmi Boffei, et ex donis aliorum, concedente Comite de Bretoil.

Ex dono ejusdem Comitis in foresta de Bretoil, pasturam ad sexaginta porcos, et omnes quitancias quas carta ejusdem Comitis confirmat.

Ad Grangiam de Quercu Haudagrii, terram Hugonis de Lachela, et quidquid ex donis aliorum ad eandem Grangiam pertinet in bosco et in plano.

Ex dono Galteri de Asperis et Hugonis de Chirai, terram et nemus de Noisement, et terram Textorum, et quidquid ibi habetis ex donis aliorum, unde habetis munimentum.

Ad Grangiam de Malheru, donationem Henrici, regis Angliæ, in terra et pratis, sicut carta ejus dividit ; et in foresta ejus ligna ad faciendas carrucas et plaustra, et omnia ad eandem Grangiam pertinentia.

Ex dono Roberti de Glapione sex virgultas prati in pratis de Quercu.

Ex dono Enerardi Molendinariii, quatuor virgultas prati.

Ex dono Boneti de Gastüil, unum pratum.

Apud Maroles, unum pratum.

Ex dono Hugonis de Sancto-Aniano, unum pratum ad fontem Sancti Aniani.

Ex dono comitis Joannis, decem summas vini apud Pireium.

Ex dono Girardi Boel, duos modios vini apud Carnotum.

Ex dono comitis Methlenti, duo millia allecciorum apud Pontem Audemerii.

Ex dono Henrici de Novoburgo, duo millia allecciorum apud Pontem Audemerii.

Ex dono Roberti de Clarofonte, mille alleccia apud Aquilam in redditu Molendini.

Ex donatione Willelmi de Montecollan, et Roberti, filii ejus elemosinam in bladio.

Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu Grangiarum vestrarum, nullus violentiam, vel rapinam, sive furtum committere, aut ignem apponere, seu hominem capere, vel interficere audeat.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos a sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et in vestro Monasterio absque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit de eodem loco absque licentia Abbatis discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere.

Sané laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino a vobis decimas exigere præsumat.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temeré perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove admonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et à Sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subjaceat : Cunctis autem eodem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant ; et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Amen. Amen. Amen.

Ego Alexander, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Hubaldus, Hostiensis Episcopus.

Ego Bernardus, Portuensis et Sanctæ Rufinæ Episcopus.

Ego Gualterius, Albanensis Episcopus.

Ego Johannes, Presbyter Cardinalis, tituli Sanctæ Anastasiæ.

Ego Willelmus, Presbyter Cardinalis, tituli Sancti Petri ad vincula.

Ego Boso, Presbyter Cardinalis Sanctæ Pudencianæ, tituli Pastoris.

Ego Petrus, Presbyter Cardinalis Sancti Laurentii in Damaso.

Ego Johannes, Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marci.

Ego Manfredus, Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ.

Ego Petrus, Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Susannæ.

Ego Petrus, Presbyter Cardinalis, tituli Sancti Crisogoni.

Ego Oddo, Diaconus Cardinalis Sancti Nicholai, in carcere Tulliano.

Ego Cinthus, Diaconus Cardinalis Sancti Adriani.

Ego Hugo, Diaconus Cardinalis Sancti Eustachii, justa Templum Agrippæ.

Ego Vitellus, Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii et Bacchi.

Ego Hugo, Sancti Angeli Diaconus Cardinalis.

Datum Anagninæ, per manum Gratiani, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi et Notarii, XV Cal. Januarii, Indictione VII, Incarnationis Dominice anno MCLXXIII, Pontificatus vero Domini Alexandri Pp. III anno XV.